

Utrum Epistolae decretales veterum Pontificum Romanorum, qui floruerunt quatuor primis Ecclesiae saeculis usque ad Siricum, sint genuinae?

Ad eundem Art. I.

NON est Quæstio de illis priorum Pontificum Epistolis, quæ a SS. Patribus aut veteribus & fide dignis Ecclesiasticæ Historiæ Auctoribus referuntur, quales sunt Epistolæ S. Cornelii inter opera S. Cypriani relata: Epistolæ Julii I. apud S. Athanasium Apol. 2. Epistolæ Liberii apud S. Hilarium in fragmentis: Epistolæ Damasi ad Illyrici Episcopos apud Theodor. l. 2. Hst. & aliæ ejusdem Pontificis apud S. Hier. hæc enim admittuntur ab omnibus pro genuinis. Quæstio est igitur duntaxat de illis Epistolis, quas Isidorus Mercator in sua Conciliorum collectione inseruit, & quas ex eo alii Conciliorum Editores in suas collectiones transtulerunt: quarum quinque adscribuntur S. Clementi: tres Anacleto; duæ Evaristo; tres Alexandro; duæ Sixto; una Telesphoro; duæ Hygino; quatuor Pio (Collectio Isidori edit. Paris. 1524. qua utimur, habet tantum duas); una Aniceto; duæ Soterii; una Eleuthero; quatuor Victori (edit. Paris. duæ) duæ Zepherino; duæ Calisto; una Urbano; duæ Pontiano; una Antero; tres Fabiano; tres Cornelio (edit. Paris. duæ); una Lucio; duæ Stephano; duæ Sixto II. duæ Dionysio: tres Felici; duæ Eurychiano; una Cajo; duæ Marcelino; duæ Marcello: tres Eusebio; una Melchiadi; una Sylvestro; una Marco, duæ Julio; duæ Liberio; duæ Felici; sex Damaso. Quæstio est, inquam: utrum ille Epistolæ sint genuinae, an suppositiæ?

Dico: Has omnes Veterum Pontificum Epistolæ decretales Eruditi plerique habent pro suppositiis. Probant 1. Quia ille Epistolæ usurpant sacram Scripturam secundum vulgatam Editionem, a S. Hieronymo illos Pontifices adnotatam; obiit enim Hieron. ann. 420. annis 24. post Siricum. 2. Quia in omnibus his Epistolis idem stylus, idem scribendi character occurrit, quod non esset, si a tot Pontificibus diversis temporibus essent conscriptæ. 3. Quia nullus Auctor Ecclesiasticus, nullum Concilium, nullus Pontifex ante 9. sæculum, aut saltem finem 8. His Decretales unquam citavit, vel nominavit. Et Dionysius Exiguus, qui, ut ipsemet testatur in Epistola ad Julianum Romanum Presbyterum, summa accurate omnitium & singulorum veterum Pontificum Epistolis collegit, suam Collectionem incipit a Sirico, hæcque Collectionem Ecclesia Romana probavit, teste Casiodoro cævo c. 28. divina. Insit. Florebat Dionysius Exiguus sæculo 6 obiit enim ann. 533. 4. Quia ille Epistolæ sunt compilatæ ex Epistolis, Operibus & Decretis Pontificum, Patrum & Conciliorum, Sirico posteriorum. Neque dici potest, hos Auctores posteriores de contra ex præfatis Epistolis plurima hausisse: si enim vera foret hæc responsio, aliquando Decretalium Auctores nominassent, sicut alios nominarunt, tum honoris causa, tum in confirmationem suorum dictorum, utque tantis testimoniis & tam venerabili auctoritate hæreticos efficacius confutarent; quod tamen nusquam fecerunt: ergo.

Obj. 1. has Epistolæ cit. & agnitas fuisse ut genuinas a variis Conciliis, Aquisgranensi sub Gregorio. IV. Coloniensi, Moguntino, Metensi sub Arnulpho, Remensi, Lateran. sub Calisto II. Item Auctores gravissimi & doctissimi, Benedictus Levita Compilator Capitularium Caroli Magni, Hincmarus Laudunensis, Luitprandus, Ordo Romanus, Anselmus Lucensis, Burchardus, Ivo Carnotensis, Gratianus in suo Decreto, quod sequitur Ecclesiæ, & quod in Scholis legitur; omnes tandem Juris Pontificii Interpretes, omnes Theologi, ipsemet Doctor Angelicus ab ann. 400. & amplius harum Epistolarum testimonia protulerunt & laudarunt: ergo. Respondent 1. hæc omnia Concilia & Auctores esse sæculo 9. posteriores, nec præfatas Epistolæ, quantum ad eorum Auctores, juxta severioris Criticæ Regulas expendisse: & ideo tot sæculorum silentium, junctum gravissimis rationibus, videri anteponendum testimoniis posteriorum; eo maxime quod plures ex istis recentioribus decepti fuerint honesto nomine *Isidori*, sub quo prodiit harum Epistolarum artifex, putantes esse S. Isidorum Hispanensem. 2. Plura Concilia, plures Auctores has Epistolæ occasione data citarunt, non ut genuinas, sed quia auctoritas illas, quod dogmatum veritatem, disciplinæ

rationem, & judiciorum ordinem esse ab Ecclesia & usu receptas, minime curantes de illarum Auctoribus, nec ad id instituentes examen criticum, quod non erat eorum institutum. Hanc Resp. innuit Baronius ad ann. 865.

Quod verò addit, Ecclesiam sequi Decretum Gratiani, Negant: multa enim, inquit, sunt in ea Collectione, quæ Ecclesiam probare non potest, cum scateat innumeris erroribus, pseudepigrapha frequenter citet, & Patribus, Conciliis, Pontificibus plura Decreta tribuat, de quibus nequidem cogitarunt, ut probat Antonius Augustinus Episcopus Tarraconensis in suo *Gratiani emendato*.

Obj. 2. Has Epistolæ ut genuinas agnoverunt S. Leo Magnus, Gelasius & Leo IV. easque ut genuinas ab Ecclesia recipi jusserunt: ergo. Prob. Ant. S. Leo in Epistola data ad universos Episcopos, sic ait: *Omnia decretalia constituta omnium Prædecessorum nostrorum ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut, si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps non velit negari*. Gelasius in Synodo Romana ann. 494. sic decernit. *Item decretales Epistolæ, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab Urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas decernimus*. Leo IV. in Epistola ad Episcopos Britanniæ apud Gratian. d. 20. c. *Libellis*, ait, *Regula, quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur iudiciis, sunt Canonæ Apostolorum, Nicænorum, Anciranorum... & cum illis Regule Præsulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Immoctii*, &c. ergo. Respondent negando Ant. ad Probat. dicunt, hæc Pontifices in verbis laudatis respicere ad Epistolæ decretales non veterum Pontificum, qui Siricum præcesserunt, cum hi nullam dederint; sed Siricii & sequentium Pontificum. Unde S. Leo loc. cit. Decreta suorum Decessorum commendans, initium ducit ab Innotentio I. Siricii successore. Verum est quidem, quod Leo IV. nominet Sylvestrum sed hunc solum ex omnibus, qui præcesserunt Siricum: illum autem citat, non ratione Epistolarem, sed respiciendo ad Acta Synodi Romanæ sub isto Sylvestro; quod patet ex ipsis laudatis Epistolæ initio, ubi profert sub nomine Sylvestri Regulam constitutam in dicta Synodo pro ordine Canoniorum iudiciorum.

Inst. Nicolaus I. in Epist. 47. ad universos Episcopos Gallie S. Leonis & Gelasii verba laudata extendit ad omnes Decretales, quæ suo tempore circumferantur: ergo. Respondent, Nicolaum id gratis asserere, & præter mentem S. Leonis & Gelasii.

Urg. saltem ipse Nicolaus I. in laudata Epist. admisit has Decretales, easque contra Episcopos Gallie observari jussit: ergo. Respondent 1. D. Ant. admisit has Decretales, ut vim Constitutionis in Ecclesia habentes & usu receptas, transeat: ut genuinas, N. id enim nihil intererat causæ, quam agebat contra Gallos. Contendebat præfatus Pontifex; Episcopum non posse deponi in Synodo Provinciali inconsulto Romana Sede, etiamsi ad eam non appellasset: pro quo Jure stabilendo proferebat illas Decretales, quibus id sancitur. Galli de contra, qui Juri tamquam novo reluctabantur, contendebant se illis Decretalibus non adstrigi, eo quod in Canonem non essent relata, adeoque non haberent vim Constitutionis, seu Legis obligantis. Unde inter eos quæstio non erat, an ille Decretales essent germani factus Pontificum, quibus adscribuntur, sed utrum haberent vim Legis, etsi in Canone, sicut aliæ, non essent relata. Respondent 2. Dato, Nicolaum hæc Decretales decrevisse esse genuinas, nihil cogit hac in re ipsi deferre, cum hic non decerneret Dogma Fidei ut Pontifex, & validiora sint in contrarium argumenta.

Petas, qui fuerit iste Isidorus, qui harum Decretalium dicitur artifex? R. 1. videri certum, non fuisse S. Isidorum Hispanensem, ut quidam, nomine delusi, existimarunt. Quia in his Epistolis citatur Concilium Toletanum ann. 675. Concilium 6. Œcumenicum 681. Gregorius II. & III. & Zacharias, qui post annum 700. floruerunt. Obiit autem S. Isidorus Hispanensis anno 636. ut testatur Redemptus Diaconus in illius vita, Braulto Episcopus Cesaraugustanus in Catalogo Operum Isidori, Lucas Tudensis libr. 3. & Mariana libr. 6. cap. 7. Adde, præfatum Braultonem, S. Isidoro cævum & amicum, nullam mentionem facere harum Epistolarum in Catalogo, quem texuit ipsius Operum R. 2. Incertum esse, quis fuerit iste Isidorus, qui dicitur Mercator. Quidam existimant, fuisse Episcopum, alii fuisse Monachum, qui præ humilitate se Peccatorem dicere soleret: Scribas autem ex oscitantia pro Peccator scripsisse Mercator.

Dis.

DISSERTATIO II. DE DOMINIO, ET ALIIS SPECIEBUS JURIS.

Cum Jus, 2. modo sumptum, pro facultate aliquid faciendi, acquirendi, &c. sit fundamentum Juris, seu Justi, quod est objectum Justitiæ, multa de illo scitu necessaria præsentī Tractatui occurrunt discutienda, maxime de Dominio, quod est præcipua ejus species. Unde sit

ARTICULUS I.

Quid, & quotplex sit Dominium?

Quid usufructus, & usus.

Dominium ut sic (Q. 7. de Pos. a. 10.) ex una parte importat auctoritatem, & potentiam in rem, vel personam; ex altera subjectionem rei, vel personæ, talem, ut ipsa dicatur esse alterius. Dominus enim dicitur, qui habet aliquid suum, de quo possit disporre, vel in quod possit auctoritatem exercere. Duplex est: Dominium Jurisdictionis, quod est potestas gubernandi suos subditos: actus autem gubernandi sunt præcipere, prohibere, permittere, judicare, punire, præmiare in ordine ad bonum commune; & Dominium proprietatis, quod est facultas disponendi de aliqua re ut sua in proprium commodum: & de illo hic potissimum agitur.

Dominium proprietatis iterum est duplex: unum plenum & perfectum; aliud non plenum & imperfectum. Dominium plenum est jus ad proprietatem rei, & commoda ejus. Non plenum est Jus ad proprietatem rei absque ejus emolumentis, vel jus ad emolumenta absque proprietate. Primum dicitur Dominium directum: tale competit v. gr. Principi respectu Feudi. Secundum dicitur Dominium utile, tale competit Usufructuarius & Feudatarius, Emphyteutis, &c. Igitur

Dico 1. Dominium proprietatis plenum, & perfectum proit directum, & utile complectatur, rectè definitur: Jus in re, seu facultas legitima disponendi de re tamquam sua ad quemlibet usum, lege non prohibita, in proprium commodum ex D. Th. hic q. 66. a. 1.

Explicatur: ponitur *Jus in re*, tamquam genus; quia omne Dominium est Jus in re, non e contra; qui enim habet hypothecam, pignus, usufructum, habet Jus in re, non tamen Dominium plenum. Dicitur, *disponendi de re*, propria nempe auctoritate, non ex alterius commissione. Dicitur *tamquam sua*, ut excludatur simplex Jus ad rem, & nuda possessio sine proprietate, ut in usufructu hypothecæ, pignore, &c. Dicitur *ad omnem usum*, vendendo, scilicet, donando, vel aliter alienando, consumendo, destruendo, &c. per quod excluditur omne Dominium non plenum, sive directum tantum, sive utile tantum. Dicitur: *Legge non prohibita*; quia, licet Dominium ex natura sua tribuat potestatem ad qualemcumque usum, potest tamen hæc potestas impediri per Legem, ne exeat in actum; ut fit in Pupillo, qui ante legitimam ætatem non potest bona sua alienare, licet sit verus illorum Dominus: unde, si alienaret, non peccaret contra Justitiam; & in fide commissario, qui non potest cuiuslibet voluerit Fideicommissum transferre; quo casu nihil quidem detrahitur ipsi potestati, sed duntaxat impeditur ejus actus; sicut, manente vera potentia videndi, impeditur actualis visio per velamen oculorum, ita ut, sublato Legis impedimento, absque novi Juris accessu, possit Dominium exire in hunc actum prius impeditum, ut patet in Pupillo, dum attingit ætatem a Lege definitam. Dicitur: *In proprium commodum*; per quod distinguitur maxime a Dominio Jurisdictionis, quo quis ut non potest in proprium commodum, sed in commune, & subditorum bonum. In quo valde hallucinatur nonnulli, qui putant Reges posse pro libitu quomodolibet, & quando voluerint, disporre de personis, & bonis subditorum: tales verius vocares Tyrannos, quam Reges.

Si petas, quæ conditiones requiruntur ad perfectum Dominium: Resp. easdem requiri ac pro Jure in Re. Require eas cum suis exceptionibus art. 1. præced. Dissert.

Dico 2. Usufructus definitur: *Jus utendi fruendi rebus alienis, salva earum substantia*. Ita in Jure. Dicitur *Jus*, quia non definitur hic actus utendi, quem Jurista vocat *Usus facti*, sed ipsum Jus utendi fruendi. Dicitur *utendi*, ut distinguatur a jure, quod habet deposita-

rius in deposito, creditor in hypotheca, vel pignore, qui his rebus uti non possunt invito Domino absque obligatione restituendi æstimationem usûs. Dicitur *fruendi*, ut distinguatur a simplici usu: qui enim habet simplicem usum, potest tantum uti re, v. gr. equo, domo, horto, agro, sylva, &c. ad necessitatem propriam, & quotidianam, ita ut nec superfluos fructus, nec jus quod habet, possit alteri locare, vendere, aut gratis cedere; cum is, qui usufructum habet, possit hæc omnia facere. Ita L. 12. ff. de usu. Fructus autem reputantur, non solum in immobilibus, ut in fundo fœnum, segetes, virgulta, arbores caduæ, *Bois taillis*, (fructifera enim non reputantur fructus) sed etiam in mobilibus, ut in grege lana, lac, foetus, &c. Ubi nota, sylvam caduam, etiamsi intempestivè cæsa sit, esse in fructu, sicut olea immatura lecta, item fœnum immaturum cæsum. L. 48. ff. de usufructu. Quoad messem verò, & vindemiam expectanda est maturitas usufructuario. Nota insuper, quod, si usufructuarius moriatur, antequam collegerit fructus etiamsi maturos, hi acquirantur Domino proprietatis, & non hæredibus usufructuarii. Ita Inst. de rerum divisione. §. 1. *vs. verò*. Ratio est; quia, quandiu adherent fundo, censentur unum cum ipso: unde pertinent ad Dominum fundi, donec usufructuarius hos colligendo fecerit suos. Dicitur *rebus alienis*; quia usufructus est servitus, quæ non nisi in rebus alienis constitui potest; *nemini enim res sua servit, sed prodest jure Domini*; ut dicitur L. 26. ff. de servitute præd. rusticæ. Dicitur: *salva rerum substantia*; quia usufructuarius debet rem integram Proprietario reservare. Unde usufructus non potest propriè constitui in rebus, quæ unico usu consumuntur, ut in vino, oleo, &c.

Ut autem salva maneat rei substantia, quædam onera incumbunt usufructuario. 1. Si habet usumfructum gregis, vel armenti, in locum capium demortuorum alia capita e fiet, quem percipit, submittere debet, quæ cedent in Dominium Proprietarii. Inst. de rerum divisi. §. 38. Si tamen, non gregis collectivè sumpti, sed singulorum capium usumfructum habuerit, non tenetur substituere alia capita in locum demortuorum. L. 70. ff. de usufructu. Ratio est; quia grex est æternus, sed singula capita pereunt. Idem dicendum, si pecus sit ejus nature, ut prolem non habeat. 2. Si habet usum sylvæ aut vineæ, in locum arborum, aut vitium demortuorum tenetur alias plantare; & tunc priores, quæ mortuæ sunt, pertinent ad ipsam usufructuarius. L. 18. ff. de Usufructu. Si verò vi tempestatis eversæ sunt, non debet alias substituere, sed eversæ pertinent ad Proprietarium, nisi forte essent necessarie ad refectionem villæ, quo casu is uti poterit usufructuarius. L. 59. 19. 12. ff. de Usufructu. 3. Si habet usumfructum domus, tenetur ad modicas reparaciones, ne pereat rei substantia; non tenetur ad majores, neque ad reparationem ædium, si vestustate corruerint: ei quoque incumbunt onera rei annexa ut tributorum solutio. Hæc de oneribus usufructuarii ex Sylvestro v. *Usus*, q. 9.

Petas 1. Quomodo acquiratur usufructus? R. Acquiri, sicut acquiruntur altera jura, scilicet vel auctoritate Legis, & dicitur usufructus civilis, vel privata dispositione, & dicitur conventionalis.

Petas 2. Quomodo amittatur? R. Ex Sylvestro loco cit. q. 11. amitti, 1. Per mortem usufructuarii. 2. Si res, in qua est constitutus, pereat, ut si domus incendio consumatur: ita quod, etiamsi reficeretur, non revivisceret usufructus. 3. Si usufructuarius jure suo non utatur tanto tempore, quod sufficit ad prescriptionem, hoc est, triennio pro mobilibus; si verò agatur de immobilibus, decennio inter presentes, vicennio inter absentes. Sufficit tamen, quod per alium utatur. 4. Finito tempore, pro quo erat constitutus: & si sine temporis determinatione relinquatur Ecclesiæ, vel Civitati, finitur post centum annos: quia *is finis vitæ longævæ hominis est*, inquit Jura L. 56. ff. de Usufructu. 5. Per maximam, & mediam capitis diminutionem, non per minimam. Maxima dicebatur capitis diminutio, cum quis simul amittebat libertatem, Civitatem, & Patriam; quales erant hi, qui damnabantur ad metalla, ad bestias, aut ad aliud genus mortis, quod non raro differebatur ad longum tempus. Media, quan-

quandò quis amittebat Familiam, & civitatem, non liberatam, ut erant illi, qui exulabant. Minima, quando quis amittebat Familiam tantum. Pro quo vide, si lubet Sylvestr. loc. cit. & Lessium hic c. 3. dub. 5. Perfector Tourneli tradit, in Gallia extingui usumfructum morte naturali, & civili. Conseri autem mortuus civiliter 1. Qui damnati sunt ad mortem. 2. Qui carceri perpetuo, trimebris, aut exilio perpetuo, vel saltem ultra novem annos duraturo, mulctantur. 3. Qui solemniter vota Religiosis emittunt, *Loix Civiles* d. 15. In hoc tamén ultimo casu Juri communi transit ad Monasterium, ubi est capax successione. Ita Navarr. apud Less. cit.

Dico 3. Usus definitur a Juristis: *Jus utendi tantum rebus alienis, salva earum substantia*. Dicitur *Jus utendi tantum*, & non fructus; quia, ut jam dixi, simplex Usuaris potest tantum fructus rei, ut olera, poma, fœnum, in propriam, & quotidianam necessitatem percipere, sed eos non potest vendere, seu donare, nec rem ipsam locare, quod potest Usufructuarius. Dicitur, *salva rerum substantia*; quia in usu, sicut in usufructu, debet res integra conservari Domino.

Ex quo habes, hanc Usus definitionem non competere rebus unico actu consumptibilibus, ut vino, oleo, panis, &c. quia per talem usum non manet salva rei substantia: unde, si generalis sumatur usus, prout convenit rebus tam unico actu consumptibilibus, quam non consumptibilibus, est *Jus utendi re aliena*.

Circa hanc usum rerum unico actu consumptibilium magna fuit olim concertatio, non solum inter Theologos, sed etiam inter Pontifices, utrum distingueretur a dominio. Hujus Quæstioni occasionem dederunt PP. Minores de Observantia, quibus cum per Regulam prohiberetur habere sive in communi, sive in particulari, ullius rei dominium, dubitatum est inter Doctos, an etiam rerum uno actu consumptibilium, ut cibi, & potus, non haberent dominium, possetque usus in illis reparari a dominio. Ita censuit Clemens V. Clement. *Exiit de Paradiso*, Nicolaus III. cap. *Exiit qui seminat*, De verborum significationibus in 6. Item Joannes IV. & Gregorius IX. quos citat Nicolaus; qui declaraverunt, FF. Minores simplicem usum habere suorum mobilium, etiam ipso unico usu consumptibilium; dominium autem manere penes summum Pontificem, qui ideo, FF. Minoribus syndicos constituit, qui suo nomine, scilicet Pontificis, quæ Fratibus in eleemosynas conferuntur, recipiant, & ipsi in necessitate distribuunt. Hoc negavit Joannes XXII. in variis Bullis, quibus & abdicavit tale dominium, & prohibuit constitui syndicos, qui nomine Ecclesie talia bona administrarent. Pro cuius Quæstionis resolutione sit

ARTICULUS II.

Utrum usus in rebus unico actu consumptibilibus distinguatur a Dominio?

Vides, quæstionem non esse de usu immobilium, sive etiam mobilium, quæ ipso uno actu non consumuntur: evidens est enim, eum distingui a dominio, ut patet in eo, qui vel equo, vel veste utitur alterius, penes quem remanet dominium equi, vel vestis.

Notæ ad tollendam equivocationem, duplicem usum distingui; unum Juris, qui est ipsum Jus utendi; alterum facti, qui est actualis usus, supponens tamén Jus; alias foret usus injustus. Uterque iterum est duplex; unus independens & irrevocabilis ad nutum concedentis, ut in mutuo; alter dependens & revocabilis ad nutum concedentis: talem habent convivæ ad dapes appositæ, Religiosi particulares ad cibum, aut potum sibi a Superiore concessum: hæc enim, sive dapes, sive cibi & potus, quandiu existunt, a Domino vel Superiore auferri possunt absque iniustitia. Usus irrevocabilis, quisquis sit, vocatur a Nicolao III. cap. cit. *Exiit*, & a quibusdam Theologis usus Juris, quia est Jus absolutum, & solidum: usus revocabilis, usus facti; quia jus, quod importat, aut supponit, est valde debile, utpote dependens a voluntate alterius. Certum est, usum irrevocabilem in ipsis rebus uno actu consumptibilibus a dominio non distingui: ad rationem enim domini pertinet, & sufficit Jus utendi re aliqua, libere, & a quovis independentem, ac irrevocabilem, etiam eam consumendo; atqui hoc totum in usu irrevocabili reperitur: ergo. Et ideo in mutuo cum tale Jus transferatur, censetur transferri dominium. His notatis, & suppositis,

Dico: Usus revocabilis in rebus uno actu consumptibilibus distinguatur a dominio. Prob. 1. Separatio est manifesta realis dispositionis probatio; atqui usus revocabi-

lis, ut in conclusione, est separabilis a dominio: ergo. Prob. Min. Qui concedit alteri facultatem utendi re sua retinendo potestatem revocandi pro nutu hanc facultatem, & disponendo de re sua ad quem voluerit usum, is concedit usum, & retinet dominium: ergo. Prob. Ant. Quod concedat usum, per se patet: quod retineat dominium, probatur. Ille est verè dominus, qui rem suam ad se pro libitu revocare potest, nullo contractu interveniente, & de ea ad quemlibet usum disponere: ergo.

Dices: Qui vendit fundum cum facultate retrocendi, non retinet illius dominium, sed transit in emptorem: ergo a pari. R. Disparitas est, quod venditor non posset fundum suum recuperare, nisi mediante altero contractu venditionis, ideoque dependenter a voluntate primi emptoris; quod est signum, & ipsum ejus dominium amississe; & primum emptorem illud acquisivisse sub aliqua tamén restrictione, ex qua fit, quod non sit dominium omnino perfectum. At in nostro casu conferens usum potest absque ullo contractu, pro mero suo nutu, & omnino independentem a voluntate usuarii, rem suam revocare, & ad quemlibet usum expendere; quod probat & ipsum retinuisse rei suæ dominium, nec illud transulisse in usuarium, nisi unbraticè, & omnino improprè.

Prob. 2. Religiosi particulares habent usum eorum, quæ ipsis conceduntur ad victum, revocabilem a Superiore; atqui non habent eorum dominium: ergo. Major est evidens: minor etiam constat, tum quia vi solennis voti paupertatis abdicaverunt omnium rerum dominium, & proprietatem: tum quia Concilium Trid. sess. 25. cap. 2. statuit, nemini Regularium licere bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitas fuerit, tamquam propria possidere, vel tenere, sic ut Superior possit absolute his rebus eos privare antequam consumantur: ergo. Confirmatur, quo utitur Nicolaus III. Paterfamilias præbens hospitibus convivium dat eis ciborum usum ad nutum suum revocabilem; atqui tamén non transfert eis dominium: ergo. Prob. Min. Convivæ non sunt Domini eorum, quæ mensæ apponuntur, nec illi ut possunt ad quemlibet usum, sed tantum ad comedendum: idque sic dependenter a voluntate Patrisfamilias, ut nullam iniustitiam committeret, si quæ exposuit, tolleret: ergo.

Ita nobiscum sentiunt Nicolaus III., Clemens V. & ante illos Alexander III. & Gregorius IX. Soto, Navarr. Sylvius, Lessius, & alii plures cum integra Scotistar. schola.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Joann. XXIII. Extravag. *Ad conditorem*, asserit contrarium nostræ sententiæ; & ait, quod dicere in talibus rebus usum separatim posse constitui a dominio, repugnet Juri, & obviet rationi: ergo vel ille, vel prius laudati Pontifices erraverunt. R. 1. Est admittamus, Joannem XXII. in hac parte errasse, nihil sequi absurdum cum non sit materia fidei, aut morum, sed partim naturalis, partim civilis: & aliunde id dixerit non definiendo ut Pontifex, sed ratiocinando ut Doctor particularis. Quod ut clarius intelligas,

Nota, Joannem XXII. edidisse tres Bullas hæc spectantes: Primam: *Cum inter wollos*, mense Novembri, Pontificatus ann. 7. Secundam: *Ad conditorem*, mense Decembri, eodem anno. Tertiam: *Quia quorundam*, mense Novembri anno Pontificatus 9. In 1. definit Christum, & Apostolos habuisse quædam propria in communi. Et quavis Nicolaus III. antea definivisse c. *Exiit*, de verb. signif. in 6. Christum, & Apostolos non habuisse propria in communi, non tamén in hæc parte sibi contradicunt hi Pontifices. Quia sensus Nicolai III. est, quod Christus & Apostoli aliquando nihil haberint proprium in communi sensus Joannis XXII. est, quod aliquando haberint proprium in communi; quod utrumque verum est. In 2. Bulla Joann. XXII. definit Romanam Ecclesiam bonorum usu consumptibilium, quæ conferuntur FF. Minoribus, non habere dominium, quod ipse abiecit: quodque in posterum non sint constituendi syndici, qui ea bona administrant nomine Ecclesie. In 3. quæ fuit edita contra obretractores utriusque præcedentis Bullæ, definit, quod, qui primæ contradixerit, sit Hæreticus. Quod, qui contra definita & ordinata in 2. dixerit, aut defendit, sit contumax & rebellis Ecclesie Romanæ. Definita verò & ordinata in hæc 3. Constitutiones, *Ad conditorem*, sunt; ut jam dixi, quod Ecclesia Romana non habeat dominium dictorum bonorum, & quod pro illis non deberent institui syndici. Et quavis ut Doctor particularis hujus suæ definitionis & ordinationis multas rationes afferat, hæc po-

tissimum, quod *Usus facti sunt non distinguatur a dominio*, istæ tamén rationes non sunt ex ibi definitis, & ordinatis, sed motiva tantum, & rationes definitionis, quæ non sunt necessario cogentes, sed possunt esse falsæ, ut contingit in variis Bullis SS. Pontificum, quamvis aliunde definitio sit vera. Huc autem ordinationi Joannis XXII. & domini dictorum bonorum abdicacioni expressè postea derogavit Paulus IV. Bulla *Ex Clementis sede*, data 2. Julii 1555.

Responderi potest 2. Nec in hoc errasse Joannem XXII. quia non sumit dominium strictè, & propriè, sed late & improprè pro jure etsi tenuissimo, seu potius pro licentia utendi re eam consumendo, quæ cum in rebus usu ipsò consumptibilibus quoad effectum æquivaleret dominio (Fratres enim Minores æque libere cibos consumunt, ac si essent Domini) ideo Pontifex hoc jus licet tenuissimum, & revocabile vocavit dominium, æquivalenter scilicet, & similitudinariè. Hanc solutionem innuit Glossa in Clement. *Exiit de Paradiso*, §. *Proinde*.

Infres: ergo saltem tempore Joannis XXII. bona FF. Minorum nullius erant, sicut primò occupantis, quod videtur absurdum. Prob. illatio. Non erant Ecclesie, aut summi Pontificis, qui eorum dominium abdicaverat; non donantium, qui dando illa alienaverant; non Fratrum Minorum, qui sunt domini incapaces etiam in communi secundum nos: ergo nullius. R. Distinguo illatum: ergo dicta bona tunc erant nullius quoad dominium, transeat: quoad usum, Nego. Erant enim quoad usum facti legitimum FF. Minorum. Porò quod dicitur, bona, quæ sunt nullius, esse primò capientis, intelligitur de bonis, quæ sunt nullius quoad dominium, & quoad usum. Unde negatur ulterior consequentia.

Obj. 2. Non habetur in Jure alia definitio usus, quam quod sit usus utendi re aliena salva ejus substantia: ergo ubi substantia non salvatur, non est simplex usus, sed dominium. R. Illic definiti usus rerum, quæ uno actu non consumuntur, ut equi, vestis, domus, &c. si autem velis definire usum generaliter, prout etiam comprehendit res unico actu consumptibiles, est jus utendi re aliena, ut jam dixi: quod si sit irrevocabile, ut in mutuo, transit in dominium; si revocabile, remanet simplex usus a dominio distinctus, & separatus.

Inst. 5. Th. infra q. 78. a. 1. o. loquens de rebus ipso actu consumptibilibus, ut de vino, tritico, & similibus, dicit: *In talibus non debet seorsim computari usus rei a re ipsa: sed cuiusque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res*: ergo. S. Th. loqui de usu irrevocabili, qui conceditur in mutuo.

Repones: Saltem secundum nos poterit seorsim in mutuo computari, & tradi usus revocabilis, & dominium, sicut duplex pretium recipi, unum pro usu, alterum pro dominio; atqui hoc, vel inducit, vel excusat usuram, & est contra D. Th. ibidem probantem indè malitiam usuræ, eo quod in rebus usu consumptibilibus, quæ mutuo dantur, non debeat seorsim computari usus rei a re ipsa: ergo. R. N. Minorem; quia in hoc casu usus, & dominium seorsim sumpta non deberent pluri videri, quam si conjunctim venderentur. Siquidem usus pro nutu revocabilis non tantum valet, quam si esset irrevocabilis conjunctus dominio; nec dominium sine usu tantum valet, quam cum usu: unde nihil acciperetur ultra sortem, nec proinde foret usura, sicut insolitus iste mutuandi modus esset prorsus inutilis. S. Th. verò loquitur de mutuo, prout fieri solet; in quo conceditur usus irrevocabilis, qui proinde non potest computari seorsim a fe.

Insistes: Saltem poterit tradi simplex usus, retento dominio: & pro illo usu, non pro dominio, aliquid accipi ultra redditivem sortis, secus in locatione; atqui hoc semel admissum, nulla amplius erit usura: ergo. R. 1. Talem contractum non esse contractum mutui, de cuius ratione est; quod transferat dominium rei mutuatæ. R. 2. N. suppositum majoris, nempe in hoc casu reddendum esse aliquid æquale sorti; nihil enim debet reddi pro dominio, quia non fuit alienatum, sed pro usu dumtaxat; usus autem absque dominio minus valet, quam cum dominio: unde talis contractus foret magis damnosus mutuanti, quam utilis.

Obj. 3. Ille censetur verus alicujus rei dominus: qui potest rem illam destruere; atqui, qui habet usum rei, per unum actum consumptibilem, potest illam destruere: ergo. R. D. Maj. Ille censetur verus alicujus rei Dominus, qui potest illum destruere independentem a quovis alio, C. dependenter ab alio, qui hanc potestatem ad nutum revocare potest, N.

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

Inst. Saltem in ipso usu, quando res illa consumitur actu, puta cum cibus trajectur in stomachum, Minorita, qui habet usum, habet dominium, cum tunc usus sit irrevocabilis: ergo. R. N. Ant. Quia supposito, quod usus sit irrevocabilis, eo quod res illa non subiacet amplius liberæ hominum dispositioni, non est tunc amplius capax domini. Si verò supponatur adhuc revocabilis & subjecta liberæ hominum dispositioni, & ideo capax domini, illud est penes eum, qui prius habebat.

Obj. 4. Qui dat v. gr. Minoritis eleemosynam cibi, aut potus, nullum sibi amplius vindicat dominium hujus cibi, aut potus, neque illud transfert in summum Pontificem, cum illi non faciat eleemosynam, nec de ipso cogitet: ergo Minorita acquirit illud dominium cum usu, idque maxime si donans intendat illi transferre. R. D. Ant. Dans eleemosynam Minoritis non intendit formaliter & explicitè illius dominium transferre SS. Pontifici, transeat: non intendit virtualiter & implicitè, N. Ant. Intendit enim, ut suppono, dare eleemosynam Minoritis eo modo, quo possunt & volunt recipere; non possunt autem, nec volunt eleemosynam recipere, nisi quatenus dominium transferretur summum Pontifici; proinde censendus est donans sic transferre. Quod si id nullatenus intendat, quin e contra velit illud dominium Minoritis transferre, nec sic quidquam obtinet; quia ad acquisitionem domini non sufficit voluntas dantis, sed insuper requiritur voluntas & capacitas accipientis. Unde in hoc casu dominium penes ipsum remanet, aut nullius est.

Inst. Tale dominium sive Pontifici, sive conferentis usum foret prorsus inutile: ergo non est agnoscendum. R. N. Ant. Quia potestas repetendi rem suam pro libitu & ad quemlibet usum expendendi, est quædam utilitas. Sed & dato, nullam tali domino remanere utilitatem temporalem, obvenit ipsi & recipientibus spiritualis saltem: *Retentio Domini talium rerum*, inquit Nicolaus III. cap. *Exiit*, cum concessione usus facta pauperibus, non est infructuosa domino, cum sit meritoria ad æterna, et professioni pauperum opportuna: quatenus utentes re aliena, eorum animus minus ad illam afficitur; minusque a studio virtutis revocatur.

ARTICULUS III.

De Possessione.

Quid, & quotuplex sit? Quomodo acquiritur, & amittitur? Quæ ejus privilegia?

Possessio dicitur a *Pedum positione*, quia per *Pedum positionem* super immobilia solet acquiri possessio. Sumitur, vel pro actu possidendi, & dicitur *Possessio facti*, vel pro jure possidendi; & dicitur *Possessio juris*.

Dico 1. Possessio facti est *Detentio rei adminiculo corporis animi, & Juris*. Ita communiter cum Sylvestr. v. *Dominium* q. 2. Explicatur: dicitur *Detentio*: quo nomine intelligitur etiam prima apprehensio, quæ est possessionis inceptio, & acquisitio. Dicitur *Rei*, non solum corporeæ, ut agri, domus, aut mobilium, sed etiam incorporeæ, ut census, beneficii, servitutis, & similibus jurium, quæ dicuntur quasi possideri. Dicitur *Adminiculo corporis*; quia non incipit, nec possessio, nisi inveniat actus externus, seu corporeus, quo vel pede, vel manu, vel oculis, vel alio simili modo apprehendatur res in se, vel in alio, in quo contineri censeatur; ut dicam modo. Dicitur *Adminiculo animi*; quia requiritur intentio rem sibi, & non alteri possidendi, & detinendi. Unde depositarius non proprie possidet depositum; nec tutor bona pupilli. Dicitur *Adminiculo Juris*; non quod necesse sit, ut Jus eam approbet, alias omnis possessio foret Justa; sed quia ad possessionem requiritur, ut Jus non impediat, quin rei detentio censeatur ejus possessio: qua de causa detentio rei sacræ a Laico non est possessio, nequidem facti, Jure id prohibente: detentio verò rei furtivæ profanæ, licet injusta, est tamén vera possessio facti; quia Jus non impedit, quin talis rei detentio sufficiat ad possessionem.

Dico 2. Possessio juris est Jus insistendi alicui rei ut sua non prohibet possideri. Dicitur *Jus*, ut distinguatur a possessione facti, ex qua oritur hoc Jus, si sit Justa. Dicitur *Jus insistendi rei*; ut distinguatur a dominio, quod per se, & formaliter est tantum Jus disponendi de re: possessio juris autem est Jus constantè rem suam tenendi, & eam adversus invadentes, seu perturbantes juris remediis defendendi. Dicitur *Ut sua*, alias non sibi, sed alteri possideret: sic Tutor non possidet bona pupilli, sed pupillus per

Tutorem. Excipitur servus, & filius non emanipatus, qui non sibi, sed patri, vel domino acquirunt, licet id non intendat. Dicitur Non prohibita possideri, per legem scilicet. Nemo enim habere potest jus possidendi contra Juris dispositionem: sic v. gr. locus publicus a privato, sacer a Laico, neque justè, neque verè possideret; quia Jure prohibetur, ne talium rerum detentio censetur possessio; ut jam dixi.

Petes, utrum detentio injusta, puta rei furtivæ, quam modo dixi esse possessionem facti, possit esse, aut dici ali- quo sensu etiam possessio juris? R. esse hoc sensu, quod sic possidens possit eam defendere contra extraneos, seu non do- minos: & quamvis dominus possit eam fugientem perse- qui, eique vi rapere rem furto ablatam, quandiu non est sic translata de loco in locum, ut sit extrâ ejus custodiam; si tamèn sic sit translata, non potest amplius vi illam rapere absquè injuria possessori licet injusto irrogata; quia in tali casu amittit possessionem civilem. Puto tamèn, in foro interiori legit esse hanc injuriam si qua sit, de quo alibi.

Dico 3. Inter varias possessionis divisiones (alia enim est justa, alia injusta: alia proprio nomine, alia alterius no- mine) præcipua est in civilem, naturalem, & civilissi- mam. Civilis est, quæ corporis adminiculo inchoata, solius animi adminiculo retinetur, & continuatur: sic civiliter possidet, qui abest a rebus suis, sed animo, & facultate eas retinet, & occupat ut suas; quandiu per alium a pos- sessione non dejicitur. Dicitur civilis; quia magis constat Jure civili, quam naturali; cum modus naturalis possi- dendis sit per corporalem insistentiam; & etiam quia parit effectum civilem, scilicet præscriptionem. Naturalis est, quæ res corpore simul, & animo occupatur. Censetur autem quis corporaliter occupare, quando ita rei vicinus est, ut illi possit continuò adesse. Hæc naturalis possessio potest separari a civili: nam fur v. gr. rem meam possidet natu- raliter, ego civiliter, donec per abstractionem ejus de lo- co in locum ponatur extrâ meam custodiam; tunc enim a civili possessione dejicitur. Similiter, si quis me absente in- vadat agrum meum, possidet illum naturaliter, ego civi- liter, donec rescians invasionem, aut negligo, aut frustra tento fundum recuperare: tunc enim amitto possessionem civilem; & invasor possidet naturaliter, & civiliter. Et licet naturalis possessio sit inferior civili, ad hoc tamèn va- lere potest, ne possessor deturbari possit ab extraneo, & interdum ne ab ipso quidem domino sine auctoritate pu- blica, ut dixi supra. Civilissima est, quæ sola Legis dis- positione acquiritur, etiam ab inscio, adeoque sine corpo- ris, & animi adminiculo. Sic hæres parvulus defuncti hæ- reditatem possidet, præsertim in Gallia, & Patria Leodien-

si, ubi mortuus induit vivum: La mort saisit le vif. Ra- tio est, quia modus acquirendæ possessionis hæc Juri subjacet, quod potest diversos modos statuere, prout ma- gis videtur expedire Reipublicæ.

Dico 4. Tribus modis acquiritur possessio: Apprehensio- ne vera, apprehensione facta, & Legis dispositione. Appre- hensio vera est, quæ fit manibus, aut pedibus: & hæc est necessaria, quando acquirenda est possessio earum rerum, quæ nullius sunt, ut ferarum, thesaurorum, &c. aut quan- do quis clam, seu vi vult possidere. Apprehensio facta est, quæ fit, vel oculis, ut cum antiquus possessor eritius vel cominus ostendit mihi acceptanti fundum: oculi enim di- cuntur longæ manus, quibus res visæ quasi contractan- tur: vel cum tradit claves domus, in qua sunt merces possidendæ: vel quando tradit instrumentum, seu scrip- turam, quæ constat de titulo, & jure quo rem possidebat: vel cum rei absentis mihi venditæ se constituit meo nomine quando post contractum ipso consentiente oppono meo nomine custodiam rei sive mobilis, sive in mobilis, & aliis similibus modis a Jure, vel consuetudine introductis. Talis apprehensio facta habet locum, quando res ab aliquo pos- sessore, vel auctoritate Judicis traditur. Legis dispositio- nem etiam quandoque acquiritur possessio absquè ulla apprehen- sione sive verâ, sive facta. Et hæc est possessio civilissi- ma: de qua supra.

Dico 5. Amittitur possessio naturalis, & civilis mobilium 1. Sola voluntate possessoris nolentis amplius rem posside- re. 2. Per furtum, & rapinam alterius, si res ablata aliquan- diu detineatur. 3. Per amissionem v. gr. burse, vel per fun- gam animalis, si non habeat consuetudinem redeundi: nun- quam tamèn servi L. Pomponius 13. ff. de acquirend. poss. Rerum verò immobilium possessio amittitur 1. Per longam absentiam domini, nec per se, nec per alium rei in- sistentis. 2. Per negligentiam, aut timiditatem, aut impo- tentiam rem suam ab injusto invasore repetendi. 3. Per lon- gam oblivionem quod res sit sua; tunc enim caret animo possidendi.

Petes utrum, amissa possessione, semper amittatur do- minium? R. negativè: etenim rei amissæ, aut furto ablatæ, amitto possessionem, saltem naturalem, non tamèn dominium.

Dico 6. Præcipua privilegia possessionis sunt. 1. Quod pariat præscriptionem. 2. Quod in dubio sit melior condi- tio possidentis. 3. Quod non sit possessoris probare, quod res sit sua; sed oppugnantis probare, quod non sit. De possessione vide plura apud Legum Interpretes.

DISSERTATIO III.

DE SUBJECTO ET OBJECTO DOMINII.

ARTICULUS I.

De Subjecto Dominii in genere.

Dico (Hic q. 66. a. 1. o) Omni, & soli naturæ intel- lectuali, nempe Deo, Angelo, & homini compe- tit dominium. Quia omni, & soli naturæ intellectuali com- petit fundamentum dominii, scilicet intellectus, & volun- tas, per quæ habet potestatem disponendi de suis actibus, & per actus de rebus externis. Unde Genes. dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & bestiis terræ. Ubi tribuit homi- ni dominium in bestias, & pisces, eò quod sit imago Dei: est autem imago Dei per intellectum, & voluntatem.

Deus habet dominium universale, absolutum, indepen- dens, & ut dicit S. Th. principale in omnes res creatas ra- tione creationis, & continuæ conservationis earum, juxta il- lud Ps. 23. Domini est terra, & plenitudo ejus: & Sap. 12. Omnium Dominus es. Hoc dominium Deus neque abdicare, neque ulli creaturæ communicare, neque ullam creaturam ab illo eximere potest: quia ejus titulus, nem- pe creatio, & conservatio assidua causæ supremæ, & in- dependentis, neque potest communicari, neque quisquam ab ea eximi potest. Sicut tamèn non obstante quod sit cau- sa universalis, communicat rebus creatis rationem particu- larem agendi; ita quamvis sit Dominus universalis omnium, communicat creaturis intellectualibus particulare dominium

suo universali dominio subordinatum. Et quo fit, quod, quamvis omnia donet, postquam etiam sunt donata, semper maneat Dei dominio subjecta: sicut quam- vis communicet virtutem agendi causis creatis, remanet tamèn suprema causa; quod de particularibus dominis dici non potest. Ex quibus patet dominium Dei esse infinitè perfectius, & altioris ordinis, ac dominium creatu- rarum.

Angeli sive boni, sive mali, non habent propriè do- minium nisi suarum operationum. Boni administrant quidam res corporales, sed non ut suas, neque in suum commo- dum, sed ut præfecti Regii, qui nomine Regis Provincias administrant: & hæc ratione quandoque vocantur Domini, sicut ipsos Præfectos Regios vocamus Dominos. Diabolus autem vocatur caput malorum, Princeps hujus mundi, Rector tenebrarum harum; non quod sit verè alicujus rei dominus, sed quia homines incitat ad malum, & eos si- ve peccato actuali, sive peccato originali obnoxios, deti- net captivos ut tortor.

Soli ergo homini inter omnes creaturas competit propriè dominium, maxime in res sublunares, juxta illud Ps. 8. Omnia subjectisti sub pedibus ejus, oves & boves &c. Dixi: maxime in res sublunares; nam in corpora caelestia, licet in utilitatem hominis condita, propriè non habet dominium; quia circa ea nihil potest disponere aut mutare: potest ta- mèn dici Dominus commoditatum, quæ eis illis percipit. Unde non potest homo absquè injuria privari v. gr. lumi- ne solis.

Ex

Ex dictis colliges 1. etiam amentes & pueros ante usum rationis esse capaces domini: quia, licet ad actual- em usum domini requiratur usus rationis, non tamèn ad dominium habituale, quod immediatè fundatur in potenti- tis: alias dormiens vel ebrius amitteret dominium. Unde Apost. ad Galat. tribuit parvulo verum dominium hære- ditatis relicte, his verbis: Quanto tempore hæres parvulus est nihil difert a servo, cum sit dominus omnium. Cujus aperta signa sunt, quod pueris & amentibus injuriam fa- ceret, qui eorum bona usurparet: & quod Tutor, vel Cu- rator eorum bona administraret, non ut sua, sed ut eorum bona.

Colliges 2. Etiam infideles & peccatores esse capaces domini; cum nec infidelitas, nec peccatum ipsos privet li- bero arbitrio, quod est fundamentum domini: nec aliunde probari possit, sive fidem sive gratiam requiri ad dominium. Unde Scriptura agnoscit pro veris Dominis Principes infideles, ut Pharaonem, Nabuchodonosorem, Balthasrem, Cyrum &c. item & Reges peccatores, ut Davidem, Salomonem, Achab, &c. 1. Petri c. 2. Subditi estote in omni timore Domini, non tantum bonis & modestis, sed etiam dis- ciplis. Quapropter jure damnata est in Concil. Constan. hæc Propositio 30. Joannis Hus, & 15. Wicleffii: Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælati, nullus est Episco- pi, dum est in peccato mortali.

Nec obstat, quod Hæretici in Jure cap. Cum secun- dam de Hæretic. in 6. priventur dominio bonorum suo- rum; id enim fit, non quia Hæretici sunt incapaces do- minii, sed in poenam sui delicti; quod Ecclesia non facit erga alios peccatores, nec facere potest contra Infideles, qui ei non subduntur, sicut subduntur Hæretici ratione Bap- tismi. Adde, Hæreticos non privari ipso facto, licet Jura dicant, quod bona eorum sint ipso Jure confiscata, quia nulla poena positiva mandatur executioni, antequam reus facti convincatur.

Quantum ad servos, remanent domini bonorum, quæ prius habebant: vel enim sunt servi Jure Belli, & sa- tis est ut amittant libertatem; vel se in servos vendide- rint, sed per venditionem libertatis non censentur vendi- disse sua bona. Idem dic de servis, qui per sententiam ad- dicuntur servituti, nisi forte per illam etiam bona aute- rantur.

Postquam verò semel facti sunt servi, sicut & ii, qui tales sunt à nativitate, ut qui nascuntur ex matre serva (hic enim valet adagium commune Partus sequitur ven- trem) regularitèr, quidquid acquirunt, Domino acqui- runt. Ita in Jure Instit. Per quas personas cuiq. acqui- rit. Item nobis, & L. Id vestimentum 25. ff. de peculio, & cap. Cum olim 2. de Privilegiis.

Dixi: regularitèr; quia quidam Theologi docent, domi- nium etiam perfectum servis competere in certis casibus: nimirum, quando Dominus consentit; quando datur ali- quid servo ea lege, ut non transeat ad Dominum; vel etiam sine conditione, sed solius servi intuitu, ut prop- tèr singularum ejus industriam ac singulare obsequium. Itèn quando servus de pecunia sibi tradita lucratur, aut sibi sub- trahit de eo, quod liberè potuisset consumere; aut quando præter opera præscripta facit aliquod opus lucrativum. In his, inquam, casibus quidam Theologi volunt servis com- petere perfectum dominium, ita ut Dominus non possit illa bona ab eis auferre absquè verâ injuria, & obligatione restituendi. Quoad Jura verò prius laudata, respondent, ea esse intelligenda regularitèr, vel contraria consuetudine esse mitigata.

Alii verò concedunt tantum servis in præfatis casibus aliquod dominium imperfectum, sic nempe ut hujusmodi res non teneantur Dominis suis tradere, quamvis Domini possint absquè injuria propriè dicta illos privare peccatari tantum contra humanitatem, & fidem tacitè datam. De quo vide, si lubet, latius Auctores. Cum enim servitus in- tèr Christianos exulaverit, non vacat his immorari. De do- minio Filiorumfamilias, Uxorum, & Religiosorum sunt speciales difficultates, quas modo per distinctos articulos discutimus.

ARTICULUS II.

De objecto Dominii humani in genere.

Dico 1. Omnes res sublunares cadere possunt sub do- minio hominis, quatenus potest eas sibi comparare, & de comparatis pro nutu disponere; earum verò de facto est Dominus, quas legitimo titulo possidet. Confer. quæ dixi articulo præced.

Theol. Billuati. Secunda Secundæ.

Est etiam absolutè Dominus operatum (1. 2. q. 17. a. 3. 6. & seqq.) quæ libere exercentur per intellectum & voluntatem; per sensus exteriores, & per potentiam lo- co motivam: quia ejusmodi subduntur libero ejus arbitrio. Non ita perfectè est Dominus actionum, quæ naturalitèr exer- centur per sensus interiores & appetitum sensitivum; quia hæc quandotè pendunt ex dispositione organi corporalis, quod non est in potestate hominis. Actionum verò facultatis vegetativæ nullo modo est Dominus, quia nul- latenus subduntur imperio rationis. Item potest dici Do- minus actuum supernaturalium, seu qui exercentur per gratiam sive actualem, sive habitualem, quia hi actus ea- tenus subsunt libero ejus arbitrio, quatenus ab eo libe- rè procedunt. Ipsius verò gratiæ habituales & aliorum ha- bituum infusorum in tantum potest dici Dominus, in quan- tum potest eis uti vel non uti, eos retinere vel amittere. Quantum ad acquisitionem tamèn, cum gratis à Deo con- ferantur, non subduntur, absolutè ejus dominio, sed dimittunt tantum & aliquid in quantum ex auxilio gratiæ actualis potest aliqualem ad eos dispositionem po- nere.

Dico 2. Homo non est absolutè & directè Dominus vite suæ & membrorum, sed custos tantum & usufructus: solus verò Deus es Dominus. (Hic q. 64. a. 5. ad 3.) Ita passim Doct. prob. 1. Ex Scrip. Deut. 32. dicit Deus: Vi- dete, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego vivere faciam: & Sap. 16. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem; id est, so- lus. Prob. ratione 1. Vita & corpus præsupponuntur ad dominium tamquam ejus fundamenta: ergo non subjacent domino. Si dicas, libertatem etiam esse fundamentum domini, & tamèn hominem esse ejus Dominum, siquidem possit illam vendere per servitutem R. per servitutem non vendi ipsam libertatem, seu potentiam liberi arbitrii, quæ est fundamentum Domini, sed tantum usum; sicut etiam potest homo vendere usum sui corporis. 2. Præcepto Non occides, prohibetur occisio non solum alterius, sed etiam sui ipsius & mutilatio: ergo homo non potest pro libitu dispendere de vita, aut membris, consequenter non habet in ea dominium. 3. Dominium non est nisi in eas res, quas nostra industria possumus acquirere; has enim sicut pos- sumus acquirere, ita et relinquere; atqui vitam, aut mem- bra non possumus propria industria acquirere, ergo. 4. Dominium non est nisi in res distinctas; atqui vita et membra non sunt quid distinctum a nobis: ergo.

Dico 3. Nec Principes, nec Respublica habent domi- nium directum in vitam et membra Civium, quasi pro li- bitu Cives possint occidere, aut mutilare; sed indirectum tantum, in quantum quorundam vita est bono publico noxia. Patet tùm ex præcepto laudato, Non occides: tùm quia quisque privatus se habet ad Rempublicam, sicut mem- brum ad corpus: nemo autem est dominus membrorum suorum, ut dictum est: ergo.

Dico 4. Homo est dominus propriæ famæ et honoris. (Hic q. 73. a. 4. ad 1.) Est communis contra Cajet. q. 73. a. 2. Istud dominium tamèn est aliquando ligatum.

Prob. 1. Pars. Homo proprio labore acquirit famam, aut saltem jus ad illam, semel acquisitam per facultatem arbitrii regit, conservat, aut amittit citrà cujusque injuriam, ut fecit Aug. lapsus snos manifestando: ergo est ejus dominus. Patet conseq. Quia hi omnes actus sunt præcipui actus domini. Conf. Si homo non esset dominus suæ famæ, non potest ejus restitutionem condonare, seu remittere; nemo enim potest remittere, quod suum non est atqui tamèn id sæpe fit, et laudabiliter fit: ergo.

Nec obstat, quod homo possit condonare mutilationem membri, cujus tamèn non est dominus. Nam, si membrum posset restitui sicut fama, non posset ejus restitutionem condonare: quod ergo condonat, non est restituito membri, sed satisfactio pro injuria illata, et restituito pecuniaria pro damno secuto.

Dices insuper cum Cajetano. Fama cujusque civis est bonum Reipublicæ: ergo non civis, sed Respublica est ejus domina. R. Ant. Fama cujusque civis est bonum Reip. ipsi debitum ex justitia legalì, quomodo divitiæ particularium debentur, C. ipsi debitum ex justitia commutativa, N. sic est bonum cuique particulari debitum.

Petes, an non sit saltem peccatum diffamare se, seu negligere famam suam absquè causa rationali? R. Esse pec- catum, non injustitiæ, sed prodigalitatis: sicut qui sine cau- sa dissiparet divitias suas, quarum tamèn est dominus. Et idè Eccles. 41. præcipitur nobis habere curam de bono nomine.

Prob. 2. pars. Fama nostra est aliquando necessaria

Ec 2